Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Explicatur quarta Clausula. Quæ gratis detur. parag. 5

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

Visual Library

56. Non denique illud, quod modò dictum eſt nu. 48. hic non habere locum, quia Juriſdictionem Religioſi ſuam habent à Pontifice, mediantibus ſuis Regularibus Prælatis, ut ſupra dictum eſt.

57. Hactenus de Declaratione Cardinalium, ſequitur Conſtitutio *a* Pii V. quæ pro Religioſis eſt hujuſmodi,

a *Apud Ant. Eſcob. T. 1. ſect. 2. probl. 29.*

Qui ſemel ab Epiſcopo in Civitate, & Diœceſibus ſuis, prævio examine, Approbati fuerint, ab eodem Epiſcopo iterum non poſſunt examinari: ab Epiſcopo autem ſucceſſore, pro majore conſcientiæ quiete, examinari de novo poterunt.

58. Nota Primò, hic locutionem eſſe de Approbatis abſolutè, vel etiam de Approbatis, quoad tempus determinatum, v. g. quoad annum, ſed pro illo anni tempore.

59. Nota Secundò illud *pro majori conſcientiæ quiete*, non ergo ad libitum, & multò minus ob malevolentiam.

60. Nota Tertiò, *ab Epiſcopo ſucceſſore*, non ergo poterunt Religioſi jam Approbati ad examen vocari à Capitulo Sede Vacante, id, quod aliqui rectè item notant apud *b* Delugo.

b *Peyrin. ap. Delugo de pœn. d. 21. n. 62.*

61. Denique Conſtitutio *c* Urbani VIII. multa ſtatuit in confirmatione, declarationemque prædictæ Conſtitutionis Pii V. Primò, Regulares poſſe ab Epiſcopo ſucceſſore examinari; &, ſi minus idonei reperti fuerint, reprobari. Secundò, Approbatos ad certum tempus non poſſe poſtea confeſſiones audire, ſine nova Approbatione, prævio etiam novo, ſi libuerit, examine. Tertiò, eos, quos ipſemet Epiſcopus ſimpliciter, & abſolutè, & ſine temporis prædefinitione ad Confeſſiones excipiendas approbavit, ab eodem non poſſe reprobari abſque nova cauſa. Quartò, Epiſcopum non teneri ipſis Regularibus aperire, ſubſit nec ne cauſa reprobationis, ſed Sedi Apoſtolicæ dumtaxat, ubi eam, ſibi juſſerit, aperiri. Hæc ſunt clara.

c *Urb. VIII edita 1628 quam refe. Barb. l. 1 de Iure uni. c. 43. à n. 210. & Aſc. Tabu. de Iure Abbat. per extenſum, T. 2. d. 6. q. 12. qui qu. 16. affert conſtitutionis Gregorii XV. declarationes.*

§. V.

QUARTA CLAUSULA.

Quæ gratis detur.

1. IN aliquibus Diœceſibus ſolet pro ejuſmodi Approbationibus expediendis aliqua pecunia dari. Cùm ergo id videatur contra hanc Tridentini clauſulam, inquiro Primò, an hoc ſit licitum. Secundò, an Approbationes ſint validæ?

Reſpondeo. Quod ſint validæ non ambigo, quia in Tridentino non apponitur hæc clauſula, ut invalidans acta, quæ contra ipſam fiant. Quamvis ergo in Indulgentiarum conceſſionibus, ubi expreſsè ponit Pontifex, ſe nolle Indulgentiam concedere, ſi aliquid pro ipſius publicatione, vel præſentatione detur, ſit dubitatio, an tunc valeat conceſſio, (de qua tamen re benigniſſimè *d* loquitur Quintanad. non vero ſic *e* Diana) nihilominus in caſu noſtro, quia non adeſt ejuſmodi clauſula irritans Approbationem, rectè concludimus, irritam eam certo non fore ex data pecunia pro illa expedienda, abſtrahendo à ſimonia, &c.

d *Quinta. in Append. tr. 2. ad Iubil. 40. horarum, dub. 5.*

e *Diana. p. 5. tr. 13. reſo. 70. V. Notandum, & reſ. 71. Ver. Vnde.*

2. Quod vero pro Approbatione, de qua noſtra eſt diſputatio, illicitè detur, & à M. Notario, illicitè item acceptetur aliqua, quamvis modica pecunia, ſive pro ratione laboris, ſive ſigilli, ſive Scripturæ, ſive alio titulo, ſatis decernit Tridentinum, ibi (*& Approbationem, quæ gratis detur, obtineat*) addita declaratione Sacræ Congregationis, cujus hæc ſunt verba allata *f* à Diana ex Barboſa.

f *Diana. p. 5. tr. 13. reſol. 70.*

3. *Cancellario*, id eſt, Notario *Epiſcopi nullo pacto licet etiam in vim taxæ antiquæ, pro Approbatione ad Confeſſiones audiendas, quam hoc Decretum gratis dari mandavit, quidquam exigere.* Lege prædictum locum Dianæ, ubi multa habes pertinentia ad ejuſmodi ſtipendia, quæ ſolent dari pro Diſpenſationibus, pro licentiis prædicandi, vel celebrandi, pro Dimiſſoriis, pro Indulgentiis, &c.

§. VI.

QUINTA CLAUSULA.

Quibuſcumque Privilegiis non obſtantibus.

1. DIximus initio hujus *Cap. 5. §. 2. num. 1.* clarè in Tridentino diſponi, ut nullus Religioſus ſine Epiſcopi Approbatione valeat Sæcularium Confeſſiones excipere. Id breviter expendamus, nam non *g* deſunt, qui propter privilegia Mendicantium, & cum ipſis participantium, negent, illa indigere: cum

g *Bordon Aſcan. Tamb. de Iur. Abb.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN